

XIPHIAS,

CARMEN,

CVIVS AVCTORI

DIDACO VITRIOLI,

EX VRBE

RHEGIO NEAPOLITANO

CERTAMINIS POETICI PRAEMIUM

E LEGATO

IACOBI HENRICI HOEVFFT

ADIVDICATVM EST

IN CONSESSV PVBLICO CLASSIS TERTIAE

INSTITVTI REGII BELGICI.

D. XXV MARTII ANNI MDCCCXLV.



AMSTELODAMI,

APUD JOANNEM MÜLLER.

MDCCCXLV.



TYPIS C. A. SPEN ET FILII.

XIPHIAS,

CARMEN.

Arma canant alii et saevi discrimina Martis
Sublimi certent ad sidera tollere cantu :
Ast ego, non ausus sanctos recludere fontes
Castalios, tenui carmen meditabor avena,
Scyllaeas inter cautes, prope littoris undam,
Callida fluctivagi referens certamina piscis,
Nautarumque dolos et non lacrymabile bellum.

Vere novo, spirant Zephyri quum mollius aerae,
Quum mare stat placidum ventis atque omnia rident,
Frigida despiciens Euxini littora ponti
Immanis Xiphias, magno mucrone timendus,
Continuo Italiae felices advenit oras:
Qui, simul accelerans Aegaeum proscidit aequor,
Ad Siculos properat fines et saxa Pachyni,

Qua saepe Aetnaeos nivibus canescere montes
Cernimus et rapidas evolvere vertice flammās.
Iamque sinus, Messana, tuos et littora Graiis
Culta viris petit et piscosi moenia Rhegi.
Mirantur molem atque immensa volumine terga
Numina cuncta freti, quotquot Neptunia passim
Regna colunt; quotquot Siculis in fluctibus uda
Doridos antra tenent, visu mirabile quando
Advena Trinacriis monstrum versatur in undis,
Perque salum incedit, roremque adspersit amarum.
Interea nautae, Scyllaeae robora pubis,
Adventum Xiphiae expectant, qui tempore certo
Infames soleat scopulos lustrare quotannis.
Ilicet incumbunt pelago: cava remige cymba
Instruitur: validos passim de more tridentes
Et duro arripiunt praefixa hastilia ferro.
Hunc videas remos tortosque aptare rudentes,
Illum alto e scopulo, fluctus unde arduus omnes
Adspectat, signum nautis dare, quando marinae
Sit tempus pugnae, parvaque ubi currere puppi
Expediat, lapsu tacito ne transeat undas
Piscis et horrendis canibus resonantia saxa.

Ast alius medium lintris conscendere malum
Sole sub ardenti praefert piscator et omnem
Inde fluentisoni prospectans littoris oram
Errabunda ferae propius vestigia servat.
Nec mora, nec requies. Audin? ferit aethera clamor.
Piscis adest: colles circum clamore resultant:
Piscis adest, socii: nunc nunc incumbite remis!
Quid cessatis adhuc? date tela, impellite marmor!
Pinnifer interea sensit delapsus in hostes,
Obsessumque dolis iter, insidiaeque patescunt
Nautarum. Quid nunc misero, quid denique restat?
Mille fugit, refugitque vias, nec segnius ipsam
Aut rostro terebrare ratem contendit acuto,
Aequora conturbans cauda, fluctusque lacessens,
Aut se lympharum spumoso gurgite condit;
Tela timens, summasque iterum perlabitur undas.
Illi alternantes multa vi spicula librant,
Clamoremque cient, telisque sequentibus instant.
Ac velut effusus crepitantis grandinis imber
Tecta simul frugesque ferit, dum rustica pubes
Ingemit incassum et crudelia numina dicit:
Ille furens populatur agros, atque omnia vastat:

In piscem sic tela volant, sic dura natantis
Membra petunt nautae. Sed contra audentior iste
Verberat adsurgens undas, fremit ore minaci
Et magnos saltu passim sinuatur in arcus.
Non tamen infelix poterit depellere mortem!
Namque aliquis, cernens Scylleïa templa, precatur:
Da nunc, Scylla parens, telo, quod missile libro,
Fortunam: exuvias magni tu piscis habebis,
Ipsiusque tuo pendebunt rostra sacello.
Tuque, Charybdis, ades, colui si semper honores,
Diva, tuos, parva facilem veneratus acerra.
Haec fatus celsa in puppi, dextraque tridentem
Sustulit et piscem longa ferit eminus hasta,
Quae cadit, at lateri pendet suspensa phaseli.
Saevit inops mediisque diu bacchatur in undis
Bellua, lethiferum grandi si corpore ferrum
Excussisse queat: stat fixus vulnere mucro!
Iam lecti iuvenes morituro linea laxant
Vincula squamigero. Laxis decurrere habenis
Cernere erit piscem. At defectis viribus aeger
Substitit et vitam multo cum sanguine fundit.
Tum vero exsiliunt Nereïa numina ponto

Exanimumque manu monstrum contingere gaudent.
Ludunt Nympharum simplex chorus: illa leonem,
Haec celerem delphina premit: pulcherrima Doris
Et Thetis et Melite ludunt, Panopeaque: et ipsa
Molle caput pelago vaga protulit Amphitrite.

Quum etiam roseis distincta coloribus ora,
Mamerti quae stagna colit, MORGANIA FATA
Saepe hanc algoso pugnam speculatur ab antro.
Antra Deae medio lympharum effinxerat alveo,
Ipsa parens Natura: tamen secreverat undis,
Externoque tribus diviserat aequore valvis.
Has super imposuit numerosa corallia, saxis
Adfixa et centum distinxit limina conchis.
Illic, quot Tyrio conchylia picta colore,
Ostrea quot pelagus servat, niveosque lapillos
Discolor extremo congesserat aequore Nympha.
Adventante Dea Zephyrus levioribus auris
Mulcet aquas et stagna silent: mille unda vapores
Exhalat: densatur opus. Iam vitrea pendet
Tela, Italos inter, montesque obducta Sicanos!
Adsurgunt turre, adsurgunt moenia ponto

E medio, tectisque super pendentia tecta,
Ac nitet Ausoniae diffuso lumine coelum.
Miratur radios, miratur quisque colores
Et rura et viridi ridentes gramine ripas,
Atque una pro cymba, unoque in littore pisce
Centum oculis pisces, centumque occurrere cymbas.

Interea socii puppim de more coronant
Et captam sicco deponunt littore praedam.
Nauticus inde oritur clamor. Cerne! ordine longo
Incedunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem,
Quam Graiae posuere manus, ubi figere dona
Servati ex undis cupiunt. En, carmina fundunt.
En, pedibus festas certant agitare choréas.
Vndique, io! valles et concava saxa loquuntur.

